

*Thlaspi umbellat.*, *nasturtii-folio Monspeliac.* C. B. est *Iberis (pinnata)*, foliis linearibus pinnatifidis. *Cent. plant.* 1, n° 49.

*Agrostis alba*? gramem nemorosum paniculis albis Vaill. sem. aristatum est. *Agrostis paradoxa* quam dixisti *Agr. flosculis aristatis, gemellis, altero sterili, terminalibus ternis, Saw. Monsp.* 35, de quo nomine diù et multùm captavi, nec capere potui.

*Iberis Cretica.* Hæsitavi multùm utrùm esset distincta ab *Iberide umbellatâ*, sed missum specimen indicat summam diversitatem, pro quâ instructione multùm obligatus sum. Nisi locus fallat, inspice, si placeat, fructum.

*Agilops Bromoides, comâ purpurascente.* J. B. Ut hoc Gramen vidi, exultabat totum cor; in nullo herbario hoc Gramen vidi; frustrâ hoc ab Helvetis et Italis efflagitavi; tu spontè obtulisti. Est vera *Andropoginis* species, dicenda : *Andr., paniculæ pedunculis simplis., flosculo hermaphrodito, aculeis ciliato, basi barbato.* Immortales refero grates pro rarissimo Gramine.

*Biscutella apula.* Habeo vivam in Horto. Videtur filia *Biscutellæ Didymæ*, sed spuria. Quotidiè magisque convincor de novis speciebus, oriundis à miscelâ duarum specierum.

*Lycium barbarum*, quod ex Africâ Hasselquist,